



N V P T I I S

CHRISTOPHORI GAVNERSDOR-

PII, VIRI PRAESTANTISSIMI, INCLITAE REIPVB.

RIGENSI A SECRETIS: ET

ELISSABETHÆ BERGIÆ, MAG^{ci} NOBILISSIMIQVE VIRI,

Dn. Casparis à Bergen, Eiusdem Reipub. Proconsulis Filia,

Sponsis ornatissimis.



Ita Maritorum concors est vita Deorum:

Res igitur sancta est copula casta tori.

Hęc Hieraculis erat sententia, digna relatu;

Digna, cui quiuis morē in amore gerat.

Nam nisi sancta foret, mundi nascentis ab

Haud sanxisset eam pronubus ipse DEVS. (ortu

Nec cœlum & terram primis pro dote dedisset

Conjugibus, nostrum ducimus vnde genus.

Nec seruasset Eam Nox Rectoris in arcâ,

Vindicibus periit quum prior Orbis aquis.

Nec firmasset eam repetito fœdere, postquam

Vndæ disruptum deseruere solum.

Nec decorasset eam posthac præsencia Christi,

Lympha vbi purpureū facta repente merum est.

Nec curaret Eam mundi Seruator & Autor

Amplius, vt vere curat, honorat, alit.

Ille pios inter genitalia fœdera sancit,

Perque Illum feruens conciliatur amor.

Coniugibus cœli demittit ab arce Magistros,

Et thalami præsens omne gubernat opus.

Non auget Eam cœli spirabile numen,

Nec rerum in medio turbine ferret opem.

Hic sese insinuat puris sacer osibus ignis,

Et magis inflammat corda magisque duo.

Ergo maritalis qui vitæ sancta capessunt

Munia, sunt sancti, sunt in amore DEI.

Quid ni igitur tibi verba loquar gratantia Sponse,

Colla quod huic subdis libera sponte iugo?

Et tecum quod dulce subit dulcissima Coniux

Seruitium, vitæ vita futura tuæ.

Virgo, quam decorat formæ, quàm gratia morum,

Quam generis splendor, quam probitatis honos.

Cerne oculorum acies, & gestus corporis aptos,

Cerne animi dotes, & repetantur Aui.

Consulum honoratam, longâq; ab origine ductam

Inuenies seriem, quos venerata RIGA est.

Et veneratur adhuc CASPAREM vertice canum,

Insignem meritis, iudicioq; grauem:

Consule quo steterat saluo Respub. quondam

Salua, nec hoc posthac concidet illa viro.

Nam virtus antiqua senem comitatur, & vrget,

Consulat vt Patriæ rebus, opemque ferat.

Si Matrem inspicias genere & pietate nitentem;

Non speculo poteris nobiliore frui.

Hoc nitidæ cernes speculo dona omnia Sponsæ:

Splendet Elisa intus, splendet Elisa foris.

O quid dulce Viro magis est, quid & vtile, Coniux

Quâ pia, prompta, decens, blanda, modesta, grauis!

Tale tori columen Diuorum oracula vatum

Gemmam, delicias, Euphrasiamque vocant.

Tales delicias, talem gemmam, Euphrasiamque

Talem tu nactus? grator, Amice, tibi.

Nunquid & haud teneræ dicam felicia Sponsæ
 Vota, quod in thalamum ducitur illa tuum?
 Haud tua blanditiis onerabo nomina vanis:
 Est fraus, quæ fit in os laus, fugienda Bonis.
 Artificem commendat opus, doctrina Magistrum,
 Ingenium studiis vita peracta bonis.
 Argentina tuo testis blanditur honori,
 Et Iena, & clarii gemma Tubinga Dei.
 Aula tropæum addit, cupius penetralia nosti,
 Regia: dat currum RIGA, ministrat equos.
 Hęc videt obliquo, ridetque Hilchenius ore,
 Ille Vir, ille suæ dulce decus Patriæ.
 Et ridet meritò, & caro gratatur Alumno,
 Remigio ad metam quod volet ille suo.
 Necquid tale negas; quin spontè, Hilchenius olim
 Vnus ad Aonidum me sacra duxit, ais.
 Illius auspicijs tot clara Lycæa subiui,
 Illius auspicijs me mea Riga fouet.
 Secretasque mihi tabulas committit in aula
 Regis, & hinc sortis tela secuta meæ est.
 Hęc audit, niueis & plaudit gloria pennis,
 Immemoremque tui non sinit esse Rigam.
 Verba Deæ referam: tua Gavnorsdorffius ore
 Afferuit nuper iura fidemque pio.
 Arma bonæ astutos doctrinæ strinxit in hostes,
 Proque tua sudans multa salute tulit.
 Ergo refers meritò grates Riga plura merenti
 Christophoro, & Sponsam iungis, & addis opes.
 Hęc audi, & plaude æthereis inuecte Quadrigis
 Sponse: insignis honos grande sequetur onus.
 Tu modò virtutis penetra fastigia summæ,
 Constantique Rigæ mente probato fidem.
 Inprimis puro venerari Numina cultu
 Perge: poli prima est cura, secunda fori.
 Gaudia sic capiet de te Riga: præmia crescent:
 Hęcque suo excipiet dulcis ELISA sinu.
 Vt probet hęc felix propero præsagia fato
 Exitus, in castas metra resoluo preces:
 Adsis, Christe, tori fidissime fautor, & autor,
 Sponsorumque tuis corda liga manibus.
 Vis vt disrumpat nulla inuiolabile fœdus,
 Quàm mors fatorum conscia, sera tamen.
 Si qua tamen fuerint, vt erunt discrimina mille,
 Fac tolerant precibus, fac superentque piis.
 Non velit ille, quod illa negat, non illa, quod ille:
 Haud ibi fixa fides, trux vbi rixa furit:
 Vita Maritorum concors est vita DEORUM:
 Tanta est Coniugij gratia! tantus honos!

*Salomon Frenclius à Fridenthal,
 Reipub. literaria Ephorus Riga,
 aduersa valetudine vehementer
 deproperabat.*